



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

331 An propter non solutam pensionem rediri possit ad beneficium  
pristinum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

quantum sufficiat ad præscriptionem, sed quis ad beneficium pristinum redire conaretur. Verum quidnam dicemus de quæstione pereleganti non ita pridem nobis proposita de conditionibus quibusdam non impletis? permutatio beneficiorum legitimè completa fuerat, interueniente nimirum beneficiorum hinc inde resignatorum collatione per ordinarium collatorem, nec vlla per quemquam euictione secuta; sed conditio tantum quædam creandę pensionis, de qua conuenerat propter inæqualitatem fructuum, non implebatur, siue pars debitorum illam pensionem creare non curasset (id quod in se tamen receperat) siue non potuerit impetrare à summo Pontifice ut ita quemadmodum conuenerat crearetur; interim tamen ex mera gratia liberalitateque necessitatibus & inopiæ pensionarij succurrebat promissor: tandem propter non impletam pensionis creandę conditionem, voluit ad suum redire beneficium pensionarius ille, non oblata beneficij vicissim accepti restitutione, ut qui iam illud an alium transtulisset. Quærebatur an ad suum iure redire posset. Ac respondebamus, non posse, nam licet vel non impleta per alterum permutatione beneficij, vel alioquin euicto post impletionem beneficio, redire possit alter ad suum beneficium, tamen si hoc quod est in beneficiis permutandis principale semel fuerit ac maneat impletum (beneficiis videlicet ipsis hinc inde resignatis & collatis & pacificè possessis nec euictis) propter

*solas*

331  
*An propter  
 non solutam  
 pensionem redi-  
 ri possit ad  
 beneficium pri-  
 stinum.*



solas quasdam leges extrinsecas non impletas ad restituendum beneficium nequit agi, sed ad huiusmodi leges implendas duntaxat; praesertim si beneficium vicissim acceptum non restituatur nec offeratur. Et generaliter quidem tradere videtur Baldus ad l. si pecuniam. vers. si autem vnus impleuit, sed alter incepit neque tamen consummauit. *π.* de conditione causa dati causa non sec. pœnitentiæ non esse locum in permutationibus quando ex vna parte totum est impletum & ex altera parte saltem aliquid est impletum circa partem permutationis intrinsecam, si pœnitentia talis alteri parti damnum esset allatura. quod plenius ibidem luculentiusque prosequitur Bartolus aliique DD. nostri. Quæ tamē doctorum nostrorum traditio satis mihi suspecta videtur in casum quo permutans ille qui ad suum beneficium vult redire propter non impletam pensionis creandæ conditionem, beneficium ab altero acceptum restituere paratus est & offert: nam siue sint extrinseca siue sint intrinseca quæ restant implenda, si non impleantur, certum est conditionem. i. legem seu modum permutationis defecisse, ideoque per consequens tanquam permutatione non impleta liberum esse reuerti per vias competentes ad beneficia pristina. Sed horum satis: dicamus nūc pro coronide pauca quedam de triangularibus istis beneficiorum permutationibus.

332  
An in genere propter conditiones aliquas extrinsecas non impletas redeatur ad beneficium pristinum.